


Jahresbericht

des

Königlichen katholischen Gymnasiums zu Gleiwitz,

für das Schuljahr 1862/63,

womit

zu der am 13. und 14. August abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

der auf den 15. August festgesetzten

Schlussfeierlichkeit

alle Gönner und Freunde der Anstalt

ergebenst einladet

C. Nieberding,
Director, Ritter des rothen Adler-Ordens IV. Kl.

64

Inhalt.

Gleiwitz, 1863.
Gedruckt bei Gustav Neumann.

Num qua fuerit apud Romanos ars gymnastica.

Quum ante aliquot annos commentationem scholasticam de origine et indole artis gymnasticæ apud Græcos scriberem, maxime dolebam, quod mihi propter angustos ejusmodi libellorum fines non licebat, rem ita tractare, ut si quis usus illius artis apud Romanos fuisset, qualis ille fuisset, cognosci posset. Itaque data hac occasione scribendi aliquid rem relictam retractabo atque id potissimum agam, ut, quid intercedat inter rem gymnicam Græcorum et Romanorum, eluceat.

Ac primum quidem si respicimus ad initia rei gymnicæ, jam antiquissimis temporibus reperimus apud Romanos non minus, quam apud Græcos fuisse institutos ludos solennes eosque sacratos aut religioni deorum aut memoriæ virorum clarorum: quorum quidem ludorum vis et natura fere posita erat in certationibus quibusdam corporum, quippe quibus et magna deorum numina et sempiternam hominum defunctorum memoriam optime colere et celebrare veteres sibi viderentur. [1]) Atque si quam fidem habeamus fabulis mythicis, primas ejusmodi corporum certationes vel agones gymnicos, ut jam Græco nomine utar, a Romanis exhibitas esse Livius [2]) docet, quum ludicrum illud celebrarent, quod Evander ex Arcadia allatum ita instituisset, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes per ludum atque lasciviam currerent. Ex eo loco perspicuum est, cursum, ut erat maxime naturalis, ita omnium corporis exercitationum fuisse primam, qua instituta corporis vires et agilitas simplici quadam ratione et examinari et augeri posse videbantur. Quod idem valuisse apud Græcos docemur a Pausania [3]), qui memoriæ prodidit, Olympiis ab Iphito institutis per longum temporis spatium currendo tantum esse certatum atque, posteaquam alia certamina accessissent, ludos eos quidem incepisse a cursu.

Deinde notissimi sunt ludi solemnes [4]), quos Romulus rex Neptuno equestri paravit et Consualia vocavit: qui quales fuerint, etsi non satis liquet ex Livio, tamen curules vel

---

[1]) Hom. Il. XXIII, 262. Odyss. XXIV, 68. Apollod. II, 4, 4. — [2]) Lib. I, C., s. Dionys. I, 80.
[3]) IV, 4, 4. VIII, 26, 3. — [4]) Liv. I, 9. —

equestres fuisse ludos cum fide aliqua concludi ex eo potest, quod Neptuno equestri sacrati erant et quod equorum cursus in ludis sacris inferiorum temporum longe erant spectatissimi.

Dubito an saltationes militares Saliorum, quas Numa Pompilius in honorem Martis Gradivi instituisse dicitur [1]) ad pristinam illam rem gymnasticam referendi sint: siquidem Seneca [2]) tria saltandi genera enumerans, unum, quod corpus in altum levet, alterum, quod in longum mittat, tertium genus esse dicit saltum Saliarem, cujus ratio et nomen ducta sint a prisca illa Saliorum saltatione.

Quos ludos vel corporum exercitationes priscæ ætatis quum nullo fere apparatu vel in campis vel in silvis factas esse credibile sit [3]), Tarquinium Priscum accepimus illos ludos opulentius instructiusque edidisse, quam priores reges. „Is primus" inquit Livius „certum locum ludis faciendis, qui postea circus maximus nominabatur in omne tempus designavit. Ludicrum fuit equi pugilesque ex Etruria acciti. Solemnes deinde annui mansere ludi, Romani magnique varie appellati." [4])

At vero quum omnis memoria regum Romanorum vetustate obruta sit et poeticæ magis fabulæ quum incorrupta rerum gestarum monumenta tradita esse videantur, ne ea quidem ab omni parte vera esse credendum erit, quæ de ratione rei gymnicæ illius ætatis Romanorum scriptores prædicaverunt; illud tamen forsitan exsistat nemo qui neget, post reges exactos usum ludorum gymnicorum, qualiscunque antea fuit, in dies magis auctum et una cum aliis rebus, quæ ad cultum deorum pertinebant, a peregrinis civitatibus maxime Etruscis et Græcis advocatum esse. Parabantur autem ludi publici et frequentissimi illi quidem ac magnificentissimi sive ad deorum iram placandam [5]), quales fuerunt ludi Taurii, diis inferis sacrati [6]), sive ad gratias iis agendas [7]), sive ad manes mortuorum colendos [8]): ex quo numero ludi Romani memorantur et antiquissimi et spectatissimi, qui Jovi, Junoni et Minervæ sacrati, maxima cum dignitate et religione ex Tarquinii Prisci tempore quoque anno fiebant [9]). Quos ludos Fabius Pictor Circenses appellat et ab ipso Romulo primum editos esse perhibet quarto mense ab urbe condita, quo die Sabinas rapuisset. Sæpe confunduntur cum iis ludi magni, qui quo anno primum facti sint, non satis constat, quum sint, qui non diversos fuisse eos a ludis Romanis contendant: siquidem Livius ipse ludos Romanos et Magnos varie dictos esse dicit et Asconius Pedianus [10]) sic scribit:

---

[1]) Liv. I, 20. — [2]) Ep. 15. — [3]) Virg. Aen. VII, 162 et Serv. ad hunc locum. — [4]) I, 35 cs. — [5]) Cic. Verr. act. II, lib. V, 14, 36. Liv. VII, 2, 3. — [6]) Liv. 39, 22. — [7]) Liv. VI, 42, 12. — [8]) Liv. 23, 30, 15 cf. Liv. I, 35. II, 18. 37. VIII, 40, 2. X, 47. XXV, 2. XXVII, 6; 21. — [9]) Cic. respubl. II, 20. — [10]) Ad Cic. in verr. act. I, c. 10. —

„Romani ludi regibus instituti sunt magnique appellati, quod magnis impensis dati.“ Quos quum Livius II, 36, et deinde sæpissime [1]), simul cum Romanis ludis commemoret et eos quidem anno 489 a. Chr. ex instauratione factos, necesse est, eos jam prius institutos esse et alios atque Romanos fuisse: a quo Cicero [2]), quamquam eandem instaurationis causam indicat, hac tamen re dissentit, quod ludos ipsos bello Latino, quod gestum est ab anno 340 — 338 a. Chr. primum factos dicit eosque votivos maximos appellat.

Tertium genus ludorum solemnium prædicantur ludi plebeji. Quos quum Livius semper eodem anno, quo ludos Romanos tradiderit editos esse, haud absonum fidei esse videtur statuere, eos institutos et oppositos esse ludis Romanis, ut qui patrum esse existimarentur, ex quo tempore jam non ædiles plebeji, uti mos fuerat, ludis celebrandis præessent, sed in eorum locum ædiles curules successissent; (cf. Liv. VI, 42.) quod factum esse constat, postquam L. Sextius primus de plebe consul creatus est.

Ex illo fere tempore ludi magni jam non confunduntur cum Romanis, quæ nomina sane videntur promiscue usitata fuisse, sed ita distinguuntur, ut hos anniversarios sive statos, illos oblata occasione votos sive votivos fuisse reperiamus. Forsitan recte statuamus, ludos Romanos jam maxime scenicos factos esse, magnorum autem et plebejorum ludorum vim positam esse in curriculis equorum et in certaminibus gymnicis atque gladiatoriis.

Hæc tria ludorum publicorum genera, ut omnium antiquissima, ita longe celeberrima fuisse constat. Itaque supervacaneum mihi esse videtur copiosius agere de ceteris ludis sacris, quæ laudantur apud Romanos, de Apollinaribus, Capitolinis, Florealibus Megalensibus, et qui sunt reliqui. Namque quæ disputaverimus de ludis vel Romanis vel magnis vel plebejis, eadem disputata de ceteris existimari poterunt.

Atque de ludorum magnorum ratione et celebritate habemus locum celeberrimum et quasi cardinalem Dionysii [3]), qui „Priusquam“ inquit „ludi committerentur, viri, quorum maxima erat potestas, pompam diis a Capitolio per forum in circum maximum ducebant: et in ea pompa primi erant eorum filii, pubertati proximi et qui per ætatem pompæ interesse poterant (*πρόςηβοί τε καὶ τοῦ πομπεύειν ἔχοντες ἡλικίαν*), alii equis invecti, quorum patres erant ordinis equestris, alii pedibus, qui in pedestri exercitu erant militaturi. Hos sequebantur quadrigarii et bigarii et equorum singularium agitatores; post quos ibant leviorum graviorumque certaminum certatores, reliquo corpore nudi, pudendis tantum tectis. Athletas autem sequebantur saltatorum chori, trifariam divisi.“ Deinde vestitu et habitu eorum, qui pompæ intererant, copiosissime descriptis aliisque rebus minoris momenti enarratis sic pergit: „primus erat quadrigarum et bigarum et singularium

---

1) 4, 27; 5, 19; 5, 31; 7, 2; 7, 11; 27, 6; 28, 45; 30, 2; 31, 9 et 49 &c. — 2) Divin. I, 26. cf. Valer. Max. II. 4, 4. — 3) VII, 66 — 73. —

equorum cursus, sicut olim apud Græcos, et ad hanc usque ætatem in ludis Olympicis fit." Id parum recte scribere videtur Dionysius, quum potius credibile sit, prioribus quidem temporibus quadrigarum et bigarum curricula apud Græcos non ita prævaluisse ceteris certaminibus gymnicis, uti apud Romanos factum esse videmus. Namque Aristophanes aliquo loco gravissime conquestus de corruptis Atheniensium moribus causam hujus rei esse dicit, quod priscæ ætatis ratione gymnica neglecta quadrigarum et equorum inepta studia nimis increbuissent. Sed redeamus ad ea, quæ reliqua sunt apud Dionysium. „Peractis" inquit „cursibus equestribus, qui suis ipsorum corporibus decertarent, cursores, pugiles et luctatores stadium ingrediuntur. Hæc enim tria certaminum genera jam apud priscos Græcos erant, ut Homerus in Patrocli funere declarat. Ceterum medio temporis spatio, quod inter singula certamina intercedebat, homines bene de se meritos coronabant et honorabant ex more, qui Græcis erat maxime peculiaris et longe omnium optimus."

His dictis, ut mihi videtur, Dionysius imaginem expressit non tam illorum ludorum, quos cum Livio a. u. 266 factos memorat, quam omnium fere ludorum publicorum, qui et ipsa Dionysii ætate et multo ante Romæ celebrari solebant, neque est, cur faciamus cum Paulyo [1] Lübkero [2] Schuchio [3]), qui Dionysium omnino non Romanorum sed Græcorum ludos solemnes descripsisse censent.

Illud enim constat inter omnes, Romanorum ludos publicos imaginem referre magnorum solemnium a Græcis celebratorum illo maxime tempore, quo apud ipsos Græcos pristinus gymnicorum certaminum splendor obscurari et res gymnica collabi cœpit. Id fere factum est ex Olympiade octogesima quinta, qui ultimus aureæ ætatis gymnicæ artis terminus appellari potest. Tum enim res gymnastica, quæ prius civium liberorum decus maximum fuerat, magis magisque transibat ad athletas, qui jam non propter coronam oleaginam assequendam, sed quæstus causa certabant.

Ac ludi quidem Romani, sive diversi fuerant, sive non diversi ab iis, qui magni dicti sunt, haud dubie imitantur ludos Olympicos. Id enim multis de causis pro certo haberi potest, primum quod utrique, et Olympici et Romani, omnium ludorum solemnium erant antiquissimi et spectatissimi, deinde quod utrique Jovi celebrabantur, denique quod multis scriptorum locis confirmatur.

Quod si inquirimus de tempore, quo sacrorum ludorum, inprimis Olympicorum usus translatus sit a Græcis ad Romanos, certo non errabimus statuentes, illud fere factum esse sæculo quarto ante Christum, quum Romani Græcas Italiæ inferioris civitates armis vicissent et usu frequenti cum iis conjuncti essent. Id enim non dubitandum est, quin illo tempore una cum Græca lingua litteræ quoque et artes, quales tum erant, ad Ro-

---

[1]) Real-Encycl. — [2]) Real-Lex. — [3]) Privat-Alterthümer. —

manos transmigraverint. Namque illud factum est, quod fere semper accidere solet, ut qui armis vicerint populos cultu atque humanitate perpolitos, ii sic vincantur ab illis, ut quasi in solatium ereptæ libertatis eorum vitæ rationem plus minusve sequantur. Sed tantum abest, ut dicam tum demum cœpisse ludos sacros apud Romanos in usu esse, ut eos ex illo tempore magnificentiore apparatu editos et certis quibusdam regulis institutos esse censeum.

Nam si verum est, quod Plutarchus [1]) memoriæ tradidit, Cinean, qui a Pyrrho legatus Romam missus esset, ad Senatum verba facientem Græca lingua usum esse interprete nullo adhibito, Græcæ linguæ notitiam etsi non multos, tamen nobilissimos Romanorum, qui rebus gerendis se tradidissent, habuisse necesse est. Inde apparet, quod nemo dubitabit, jam ante sæculum quartum ante Christum Romanis usum aliquem cum Græcis fuisse atque fieri non potuisse, quin Græcæ institutiones, inprimis sacra deorum quæque cum iis conjuncta essent, Romam transferrentur. Neque vero ludi sacri subito ac toti a Græcis ad Romanos transmigraverunt, sed paulatim et pedetentim incrementa ceperunt, prout res apud ipsos Græcos augebatur et Romani promptiores fiebant ad novas institutiones apud se suscipiendas: quæ res confirmatur multis locis, qui leguntur apud veterum scriptores. Ex quibus Livium affero, qui lib. VII, 2, 3 hæc habet: „Eo anno (364 a. Chr.) ludi quoque scenici — nova res bellicoso populo — nam circi modo spectaculum fuerat, inter alia cœlestis iræ placamine instituti dicuntur;" et lib. X, 47, 3 „eodem anno (293 a. Chr.) coronati primum ob res bene gestas ludos Romanos spectarunt palmæque tum primum translato e Græcia more victoribus datæ" et lib. XXXIX, 22 „per dies decem ludos magnos Fulvius, quos voverat bello Aetolico, fecit. Multi artifices ex Græcia venerunt honoris ejus causa. Athletarum quoque certamen tam primum Romanis spectaculo fuit." Plutarchus Catonem Uticensem (in vit. ejus) narrat imaginem ludorum Olympicorum Romam transtulisse, quum in theatro spectacula edidisset et victoribus non aureas, sicut olim, sed oleaginas, sicut in Olympiis coronas proposuisset: id quod Plutarchus ex ingenio illo quidem Catonis, sed parum vere tradere videtur. Ferturque Sulla Athletas et reliqua ex Olympiis certamina Romam traduxisse, veluti solamina quædam belli Mithridatici aut Italici ea excusatione adhibita, quod populum a calore respirare et refrigerari cuperet [2]).

Fuerunt autem Romanorum ludi publici, si et locum, quo edebantur et eorum naturam rationemque spectamus, aut circenses aut gladiatorii aut scenici: quos quidam Augustinus [3]) notat voluptates aut circi furientis aut caveæ insanientis aut scenæ lascivientis. Cicero de legg. II, 15, sic scribens: Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi,

---

1) Pyrrh. 11, 15, 19. — 2) Appian. bell. civ. lib. I. — 3) De civ. II, 6. 17. —

sint corporum certationes cursu et pugilatione et luctatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam in circo, in cavea cantus voce ac tibiis," certamina gladiatoria, quæ potissimum erant caveæ, plane neglexit. Ex quibus ludis scenicos et gladiatorios, ut qui nihil pertineant ad artem gymnasticam omittendos censeo, accuratius videndum de circensibus, qui, utrum nomen duxerint a „coercendo," an a „circumeundo," ambigit Servius ad Virg. Georg. III, 18. Is enim quum Romæ Circenses esse doceat, qui Græcis essent Olympici, ita dicit: „In Elide juxta fluminis ripam (Alphei) angusto tramite, altero latere urgente flumine, altero positis gladiis, ut utrinque præsens exitium esset, bigarum cursu certabatur, dimicatione adeo perniciosa, ut intra præscriptum illos coercere necesse foret: unde circenses dicti." Quibus addit, alios a circumeundo eos circenses vocari putare.

Sed utcunque id est, in re ipsa dissensio est nulla. Congruit enim utraque interpretatio cum ea, quæ omnium planissima esse videtur, nomen Circensium derivandum esse a circo, quem nos dicimus „Rennbahn." Erant enim ii ludi, qui primo edebantur in circo, cui locum designaverat Tarquinius Priscus, quique postea, quum et alii circi exstiterant, Flaminius, Martius, Florae, Neronis, Hadriani, circus maximus vel circus *κατ' ἐξοχήν* nominabatur.

Jam antiquissimis quidem temporibus ludi circenses continebantur currendo, equitando et bigarum quadrigarumque curriculis, atque manebat nomen, quum jam aliæ corporum certationes additæ essent, quod primaria pars ludorum posita erat in cursu, equis et curribus. Itaque factum esse videtur, ut initio circenses et ludi Romani promiscue dicerentur. Quum autem ludi sacri omnes ita aucti essent, ut additis spectaculis scenicis et gladiatoriis jam diversis locis fierent, gladiatorii in amphitheatro vel cavea, scenici in theatro, circenses in circo, nomen circensium ad omnes corporum exercitationes translatum est. Frequentes loci apud veterum scriptores occurrunt, quibus legimus: „ludi circenses" celebrabantur, qui ludi nihil aliud significant, nisi „agones gymnicos." Jam quum Romani nullam, nisi quæ nominarentur liberales, artem dignam haberent, quam viri ingenui palam profiterentur, certationes gymnicas, ubi primum aliquid artis inesse cœpit, ingenui adolescentes in ludis sacris relinquebant athletis et servis, qui infames esse et venalia corpora habere credebantur. Sed certamina equestria sive equiria (*ἱπποδρομίαι*) ut omnium omnibus temporibus erant maxime popularia, ex parte quidem sibi retinuisse videtur Romana nobilitas.

Lusus ille quidem Trojæ, sive decursio equestris, quam Virgilius copiosius describit [1]) quamque conjunctam cum ludis sæcularibus summo studio spectasse populum dicunt Suetonius [2]) et Tacitus [3]), ita comparata erat, ut pueri primo ætatis flore et juvenes generosi

1) Aen. V, 553—602. — 2) Ner. 7. Aug. 43. — 3) Ann. XI, 11. —

spiritus equis instructis hinc inde dispositis turmis tanquam acie instructa in modum justæ pugnæ cursitarent speciemque prœlii modo occursando, modo a tergis invehendo vel in gyrum volitando præberent: id quod specimen indolis habebatur ineuntis ætatis, unde qualis quisque futurus esset, facile cognosci posset. Etiamsi fidem abrogemus Virgilio, qui hujus decursionis originem atque usum revocat ad Ascanium, Albæ conditorem, itemque Servio, qui ternarium numerum equitum refert ad tres P. R. tribus, a Romulo institutas (saltem centurias tres equitum respici dicere debebat); id tamen concedendum esse videtur, ludum non tum demum esse institutum, quum sæpius, uti legimus, ederetur, ætate Cæsarum, sed priscum morem secutos illum celebrasse J. Cæsarem et Augustum: cujus rei auctor est Suetonius, qui in vita Augusti hæc scribit: „Sed et Trojæ ludum edidit frequentissimo majorum minorumque puerorum delectu, prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic notescere.“ Videtur autem res ita se habere, ut Virgilius, quem lusum Trojæ ab Augusto editum spectasset, eum loco supra cit. descripserit et more suo ficta veris admiscendo spectaculi originem retulerit ad Aeneæ filium, quo major esset gloria nominis Augusti et quo clarius ludi ipsius honor splendesceret. Cui opinione non repugnat Heynii [1]) sententia, qui hunc ludum ab initio curulem fuisse et ex antiquis decursibus armatorum circa tumulum in exsequiis institutis repetendum putat. (cf. Hom. Il. 22, 13 sqq.) Klausenius [2]) nomen Trojæ non deducendum esse putat ab urbe Troja, sed ab antiquis et obsoletis verbis „troare, vel truare“ [3]) i. e. incitare et flectere, unde derivanda sint „troa“ i. e. circuitio, τροχία et „troïus“ i. e. circensis nec non „Trossuli,“ quod nomen vetustum esset equitum Romanorum, sicuti „Celeres et flexumines“ (Cf. Plin. ep. 33, 2. Serv. ad Aen. IX, 606).

Hoc loco mihi memorandæ esse videntur quatuor illæ factiones circenses, quæ miro spectantium favore ac studio quadrigarum curriculis certare solebant. Erant autem eæ factiones a coloribus variis pro anni temporibus dictæ, ita quidem, ut earum una veneta i. e. cærulea, altera prassina vel viridis, tertia alba, quarta rosea nominaretur. Viridis enim color veri dicatus erat, æstati roseus, auctumno albus, hiemi venetus. Ad has quatuor factiones Domitianum addidisse duas, auream et purpuream, Suetonius memorat. Quarum factionum quum neque Livius, neque Dionysius, qui multus est in descriptione ludorum magnorum supra commemorata, neque alius quisquam scriptorum superioris temporis ullam mentionem fecerint, non satis constat, utrum illud certandi genus antiquum fuerit, an imperatorum demum ætate in usum venerit. Illud pro certo haberi posse puto,

---

1) Excurs. V ad h. C. Virg. cf. Xen. Cyr. VI, 1, 27. — 2) Aeneas und die Penaten p. 822. — 3) Antruare et redantruare „entgegentanzen und wieder zurück“ dicebatur de saltatione Saliorum. Lucil. apud Fest. 273, 3.

post Christum natum ejusmodi spectaculorum usum et gratiam ita invaluisse, ut non populus modo ea ingenti studio foveret, sed etiam singuli principes uni alterive factioni addicti essent. Hunc panni versicoloris furorem castigat Juvenalis his versibus 1):

Totam hodie Romam circus capit, et fragor aurem
Perculit, eventum viridis quo colligo panni;
Nam si deficeret, mœstam attonitamque videres &c.

Vitellius 2) quosdam de plebe homines ob id ipsum, quod venetæ factioni clare maledixerant, interemit, contemptu sui et nova spe id ausos esse eos opinatus. De quo genere spectaculi quid judicaverint honesti et integri Romani, apparet ex Plinio 3), qui ad Calvisium suum sic scribit „Circenses erant, quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. Quod magis miror, tot milia virorum tam pueriliter indentidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla. Nunc favent panno, pannum amant. Mitto apud vulgus, sed quum recordor, quosdam graves homines in re inani, frigida tam insatiabiliter desidere, capio aliquam voluptatem, quod hac voluptate non capior.“ Ea recte dicta esse omnes consentient, qui rem accuratius inspexerint, ita tamen, ut quæ Plinius de hoc genere spectaculi judicaverit, ea judicata censeant de tota ludorum publicorum ratione. Namque ii nihil earum rerum habebant, quibus Græcorum ludi solemnes nitebant civiumque animi majores reddebantur, neque claritatem et gloriam Romani nominis, neque honestum gaudium, quod percipitur ex contemplatione ac spe futuræ virtutis, nec denique delectationem corporum arte gymnica ad perfectam pulchritudinem formatorum; sola spectandi cupiditas explebatur, sic ut major voluptas esse non videretur, quam videre non artem ingenuam optimorum juvenum, sed athletarum levia artificia, versicolores quadrigarum pompas atque gladiatorum cædes crudelissimas.

Quod si quærimus, quomodo factum sit, ut maximum illud discrimen interponeretur inter ludos publicos Græcorum et Romanorum, hanc potissimum causam reperimus, quod apud Græcos nobilissimus quisque, cui per ætatem licebat, ad publica certamina accessit, et ludi sacri aptissimi habebantur, in quibus, quid juventus in gymnasiis et palæstris profecisset quidque de ea sperari posset, ostenderetur. Atque in legibus Olympicis cautum erat, ne quis certaminum partem capesseret, qui quacunque infamia aut nota mala aspersus esset. Omnes enim, qui aut Græci non erant, aut libertate non utebantur, aut ἄτιμοι vel ἀσεβεῖς habebantur, ab Hellanodicis remoti sunt a certaminam societate. Atque Olympionicen esse a Græcis majus munus censebatur, quam a Romanis triumphasse de

1) Sat. II ad fin. — 2) Suet. Vit. 14. cf. eund. in vit. Ner. 22. Call. 15 — 3) Epist. IV, 6. cf. Tac. de orat. 29. —

hostibus: qui honor redundabat etiam in propinquos et patriam victorum, ita ut non qui vicissent, sed eorum patres et patria coronari viderentur [1]. Contra Romani, etsi ludos sacros magno cum studio atque apparatu celebrabant, tamen ipsa certamina gymnica quasi infamia aut indecora mercenariis relinquebant, sive ii a peregrinis acciti erant, sive servi domestici aut libertini erant ad ea ipsa artificia instituti [2]. Augustinus [3] quidem dicit, Romanos privasse virtutis honore, tribu movisse, agnovisse turpes et fecisse infames eos, qui scenicas artes et obscœnos ludos exercerent. Quum autem labente prisca disciplina mores quoque populi magis magisque laberentur, maxime imperatorum ætate, quæ vocatur, multi illius temporis rerum scriptores memoriæ tradiderunt, vel Romanos eosque insignes nobilitate et opibus prodiisse non modo ad certamina athletarum, sed ne gladiatorum quidem partes agere aspernatos esse. „Namque Nero Cæsar," inquit Suetonius [4], „exhibuit ad ferrum quadringentos senatores sexcentosque equites Romanos: ex iisdem ordinibus et confectores ferarum et varia arenæ ministeria" (cf. Tacit. ann. XV, 32. XIV, 20. 21). Tamen id non factum esse apparet, quod jam certamina publica in majore honore esse cœpissent apud populum universum, sed quod singuli ceteris indignantibus ad artes theatrales, ut ait Tacitus, degeneraverant. Quibus expositis quum a Romanorum ludis sacris exclusam fuisse videamus ingenuam illam artem gymnasticam, quæ a Græcis non propter mercedem neque propter solam visendi voluptatem, sed propter ipsam ejus virtutem ab optimo quoque et honestissimo colebatur, perspicuum est apud Romanos longe aliter comparatam fuisse omnem de re gymnastica institutionem atque apud Græcos. Namque apud hos gymnastica ars atque disciplina publicæ curæ erat, neque ulla urbs paulo amplior carebat gymnasio vel palæstra, gymnasiarchis, gymnastis et quæ cetera ad eam disciplinam pertinere putabantur. Quare Pausanias [5] Panopæis, Phocidis urbi, quum in ea neque theatri, neque gymnasii vestigia invenerit, vix nomen urbis tribuendum esse censet.

Quarum rerum fere nihil reperimus apud Romanos, qui etiamtum, quum jam ceterarum artium et literarum publicis præceptoribus et scholarum frequentiis carere non posse sibi videbantur, male de arte gymnastica opinati, ejus disciplinam publicæ curationis esse nolebant. Erant sane gymnasia et palæstræ, sed ea non publicis sumtibus instituta. Erant cum villis divitum conjuncta. Cicero [6] enim in Tusculano suo superiorem partem gymnasii Lyceum dicit, et Plinius [7] Laurentinam villam describens memorat gymnasium suorum, quod idem eorum hibernaculum fuerit. Publicum gymnasium, ut ita dicam, primum a Nerone dedicatum esse oleumque præbitum equiti et senatui Tacitus prodit [8].

---

1) Plat. symp. II, 5, 2. Diod. XII, 82. — 2) Liv. V, 1. — 3) De civ. D. 2, 27. — 4) In vit. ejus 12. — 5) X, 4, 1. — 6) Divin. I, 5. cf. de orat. II, 5. — 7) Ep. II, 17. — 8) Ann. XIV, 47. cf. Suet. Ner. 12. —

Nec tamen illud factum est sine indignatione et fremitu honestorum Romanorum, qui censebant [1]), aboleri patrios mores funditusque everti per accitam lasciviam degenerareque studiis externis juventutem, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus. Nec minus Cicero [2]) turpes amores in Græcorum gymnasiis natos esse censet, afferens Ennianum illud:

„Flagitii principium est nudare inter cives corpora."

Sed quam male opinati fuerint Romani de gymnasiis et de tota arte gymnastica Græcorum, maxime apparet ex iis, quæ Plutarchus [3]) habet. „Ungui valde contemnunt Romani creduntque Græcos nulla re magis effeminatos et in servitutem delapsos esse, quam gymnasiis et palæstris, unde provenissent desidia atque inertia, turpes amores, corporis languor, ita ut paulatim ab armorum usu recederent et periti luctatores pulchrique viri quam fortes hoplitæ et equites nominari mallent."

Quæ opprobria non probanda sunt, nisi respiciamus ad illa tempora, quibus ars gymnastica apud ipsos Græcos quasi deflorescere et varia vitia irrepere in gymnasia cœperint, plane rejicienda ab illa ætate, quæ dicitur aurea artis gymnasticæ, qua tantum aberat, ut corpora nudata turpem libidinem alerent, ut artes plasticæ vel effectivæ, quas vocant, quasi societatem quandem inirent cum arte gymnastica et formosorum corporum, quæ effingerent, exempla viva sibi eligerent in gymnasiis. Sed audiamus O. Muellerum nostrum, qui ea de re sic disserit. [4]) „Die Gymnastik gewährte natürlich viel schönere Entwickelungen männlicher Kraft und Schönheit als die steifen Acte der Academie" et [5]) „Da der menschliche Körper, unmittelbar hingestellt, die Hauptform der bildenden Kunst war, so ist es auch nur der natürliche Körper, und nicht irgend ein von menschlichen Sitten und Einrichtungen hinzugefügtes Anhängsel, welcher Geist und Leben unserem Auge anschaulich darstellt. Indeß gehörte ein hellenischer Sinn dazu, um bis zu dem Punkte hindurch zu dringen, wo die natürlichen Glieder als die edelste Tracht des Mannes erscheinen. Die Gymnastik war es, die diesen Sinn besonders nährte und deren höheren Zwecken frühzeitig alle unbequeme Scham geopfert wurde. Obscöne Nebengedanken kamen gar nicht auf, da der Hauptzweck der Gymnastik, die dargestellte Schönheit des Körpers, zu sehr interessirte."

Neque vero mirum est, tam perverse judicasse Romanos, primum quod, qualis Græcorum ars gymnastica fuisset aurea ætate, non satis cognoverant, deinde quod ita generati erant, ut omni artis sensu atque judicio carerent, et omnia ad vitam communem adducerent. Itaque et ipsas exercitationes corporis non æstimabant, nisi ex utilitate, quam allaturæ essent juventuti aliquando militaturæ. Id enim in tota puerorum disciplina potissimum spectabant Romani, ut ad belli labores perferendos fierent robustiores et aptiores.

---

1) Tac. XIV, 20. 21. — 2) Tusc. IV, 33. — 3) Arch. qu. Rom. 40. — 4) Kunstarch. p. 404. — 5) Archäol. der Kunst. § 336. —

Hanc ob causam iis exercitationibus gymnasticis maxime operam dabant, quas ad belli virtutem pertinere putabant. Honestissimæ autem et juventute militari dignissimæ exercitationes habebantur: cursus, jactus disci, saltus, jaculatio et lucta, quarum conjunctionem Græci πένταθλον, Romani quinquertium dixerunt. Præterea nandi et equitandi summum studium erat.

Quarum exercitationum aliæ in gymnasiis et palæstris, si qua erant, aliæ in campis fiebant. Jam quum Romæ, ut supra diximus, usque ad Neronis ætatem gymnasium nullum esset, Romani, ut Vegetius 1) docet, campum Martium, Tiberi vicinum, delegerunt, in quo juventus post armorum exercitia sudorem pulveremque dilueret ac lassitudinem cursusque laborem natando deponeret. Qua de re agit Horatius toto illo carmine: „Lydia, dic, per omnes." 2)

Quibus exercitationibus Scipio juventutem ad munera belli subeunda corroboraverit atque instituerit, a Silio Italico 3) docemur his versibus:

Lectos rectores formabat Scipio bello:
Ille viris pila et ferro circundare pectus
Addiderat: leviora domo de more parentum
Gestabant tela, ambustas sine cuspide cornos.
Ipse inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat: vibrare sudem transmittere saltu
Murales fossas, undosum frangere nando
Indutus thoraca vadum.

Quarum rerum maxime ad usum militarem pertinere videbatur jaculatio neque ab ea diversam fuisse credendum est exercitationem ad palum, quam Vegetius I, 11 inprimis ponit in exercitiis militaribus. Erat autem ea fere ita comparata, ut tirones palum, quæ erat imago lignea super terram fixa, clavo et scuto velut hostem peterent et in eum ictus et plagas inferrent. In quo quidem id potissimum cavebant, ne dum ad palum ictus intenderent, ipsi hostium telis paterent. Cui ludo Palaria nomen erat neque is ita multum recessisse videtur ab ea exercitatione gymnastica in palæstris nostris usitata, quam vocamus „Gerwurf."

Præter has omnes, quas supra diximus, corporis exercitationes, quæ aut in gymnasiis, aut in campo Martio fieri solebant, inprimis ad usum belli spectare putabant venationem: quam quidem Plinius 4) „virtutis experientiam et voluptatem" esse dicit et Horatius 5) „Romanis solemne viris opus, utile famæ vitæque et membris."

1) De re mil. I, 10. — 2) Cf. lib. III, Cap. 7, vv. 25 — 29. — 3) Punic. lib. VIII. — 4) v. Pamg. c. 81. — 5) Epist. II, 18, 49. —

Idem in arte poetica juvenum, qui ex pueris excesserunt, vitam et consuetudinem depingit his verbis:

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi.

Quamquam equidem secutus Sallustium, qui [1]) venationem et agriculturam in numero servilium officiorum habet, crediderim illa ætate plerosque Romanorum propter luxuriam et ignaviam jam recessisse a venandi laboribus atque omnino omnibus negotiis gravioribus, sed levioribus quibusdam ludis oblectatos esse. Est enim res notissima, non solum pueros, sed etiam juvenes atque viros eosque nobilitate et opibus maxime insignes corporis exercendi animique recreandi atque appetentiæ ciborum invitandæ causa pilis studiosissime lusisse [2]). Quod quidem [3]) factum esse a Scævola, juris consulto, a J. Cæsare et Augusto [4]) accepimus. At vero Cicero nimia leviorum ludorum studia vituperat, quum [5]) Titium quendam pilis, Brullam talis vehementius, quam causa postularet, delectatos esse dicat. Eodem spectant ea, quæ sunt apud eum de off. I, 29, ubi „Neque enim," inquit, „ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur, ad severitatem potius et ad quædam studia graviora et majora. Ludo autem et joco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, quum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. Suppeditant et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi." Idem censet, senibus tantum leviora lusionum genera concedenda esse, adolescentibus autem accedendum esse ad graviora. Namque de sen. XIV ait „Sibi igitur habeant (adolescentes) arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam, sibi pilam, sibi natationes et cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras."

Γυμναστῶν et *παιδοτοιβῶν* (Turnlehrer), quales apud Græcos fuisse constat, nulla usquam fit mentio apud Romanos. Quorum partes egisse videntur aut servi, qui pædagogorum munere fungi solebant, aut milites veterani, qui ad disciplinam tradendam tironibus præfecti erant (Exercirmeister). Est etiam quod credamus, non raro aut ab ipsis patribus aut a propinquis, maxime patruis, pueros disciplina gymnastica instructos esse. Catonem quidem Plutarchus (M. Cat. 20) tradidit filios instruxisse et de patriis moribus et de disciplina gymnastica. Augustum nepotes suos docuisse natare auctor est Suetonius.

Ex iis, quæ huc usque disputavimus, facile cognoscendum est, rem gymnasticam, etsi a Græcis ad Romanos translata esset, tamen longe aliter comparatum fuisse apud hos neque eam aut in ludis publicis pro sua, qua par erat, virtute æstimatam esse, aut in vita privata ad perfectam artem pervenisse. Neque enim ad aliam rem utilis esse putabatur

---

1) Cat. IV, 1. — 2) Ueber die verschiedenen Arten des Ballspieles. S. Ruperti, Röm. Alterth. II, 38, ff. — 3) Val. Max. VIII, 3. — 4) Suet. Aug. 83. — 5) De orat. III, 23, 38. —

nisi ad usum militarem, aut ad valetudinem sustentandam, aut ad voluptatem parandam et ad studia spectandi explenda. Per artem gymnasticam Græcorum tota vita exculta et ornata est, apud Romanos corporis exercitationes non nisi communi utilitati serviebant. Jam finem scribendi facio ea laudando, quæ Weberus hac de re optime disputavit *). Die Spiele im Circus, das Pferde- und Wagenrennen, die Wettkämpfe im Ringen, Laufen und Faustkampfe, die festlichen Umzüge mit Liedern und Tänzen, die im italischen Religionskultus eine so hervorragende Stelle einnehmen, scheinen die Römer zum Theil von den Etruskern, zum Theil von den Griechen angenommen zu haben; aber die körperliche Erziehung der latinischen Jugend wurde nie, wie die griechische Gymnastik, zur künstlerischen Ausbildung geführt. Der Sinn des Schönen blieb dem römischen Volke verschlossen."

*) Allgem. Weltgesch. Bd. III. S. 63. —

Polke.

